Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

et pene in desolationem redacti sunt. Vos ergo fratres dei iudicium metuentes curam habetote ut vigilantes et intente orantes paratiores ad tolerandum si que repente fuerint inveniamini. Corpus meum in ecclesia beatissime martyris Blandine ac sociorum eius humate. Hec audierunt fratres qui tunc presentes aderant. quod postea exitus rei demonstravit. quoniam et a wandalis et a sarracenis non solum viennensis sed et longe lateque alie provincie vastate sunt.

Cum iam decumberet tercio die antequam clara eius anima corpus corruptibile desereret. cum semper in laudibus dei perseveraret. videt circa crepusculum diei aperiri celum. et immissum exercitum candidissimi et nivei candoris super cellam in qua iacebat descendere. quem exercitum mire pulcritudinis et splendoris iuvenis precedebat. Quod cum clarus [illegible] oculis leto vultu inspiceret. virgo beatissima Blandina a deo cognita consolari eum cepit. et ut tantum exercitum sequeretur hortari. Cumque ipse voto et desideriis annueret. ab illa audivit. Tercia die hora quinta. Marcellus et ego ad te venientes. te nobiscum ad felicia regna ducemus. et ne hostis tibi nocere possit. totus dei exercitus iste quem vides tecum erit. Sic visu abscesso. clarus a fratribus in ecclesia portatus. ciliciooque super extensus. quamdiu superfuit. a dei laudibus numquam cessavit. Adpropinquante hora exitus sui. idem ipse psalterium decantare cepit. Vt ergo fratres [illegible] finitis psalmis dixerunt omnis spiritus laudet dominum. cum luce odor ineffabilis totam cellam in qua sanctus clarus iacebat replevit. Sicque beata anima a carne soluta recessit. Mansit autem idem odor usque ad locum sepulchri. Quod cum ferretur quidam paralysi dissolutus admotus est ad feretrum beati et clari viri. et in conspectu omnium salvatus. Sepultus autem est in ecclesia sancte martyris Blandine: sociorumque martyrum quadraginta octo. ante altare: quo miraculis coruscantibus diu claruit. Obitus autem eius agitur pridie nonas ianuarii.

Vita sancti Thelesfori pape.

Apostolorum beato petro in regimine ecclesiastici corporis omnium succedentium seriem sollicita devotione indagantes. sanctum patrem Thelesforum septimo loco invenimus in catalogo ordinatum. Qui episcopali sublimatus auctoritate. et kathedra apostolica roboratus. vestigia apostolorum in omnibus secutus. eorumque actus pios imitatus. sedit in sede romane ecclesie: vir in omnibus perfectus annos undecim. menses tres. dies viginti unum. De hinc post predicationem salutivam. per imitabiles actus. per paternam eruditionem traditionum. spiritali admonitus dono. constituit ut septem ebdomadibus ante sacrum pascha ieiunium celebraretur. et in natali domini nostri ihesu christi missa celebraretur. et ymnus angelicus. id est gloria in excelsis deo hora sacrificii misse diceretur. Sicque vir beatissimus imitabile omnibus se credentibus exemplum relinquens animam polis imposuit. et die nonarum ianuarii mortem pertulit. et vitam invenit.

Vita Symeonis ~~heremite~~. Monachi.

Sanctus Symeon ex utero matris sue a domino electus est. et meditabatur a pusillo opera placentia deo. Is erat filius [illegible] cuiusdam nomine. et nutriebatur ab eo. Et cum esset annorum tredecim. pascebat oves patris sui. viditque ecclesiam. et relinquens pecora. cucurrit ad eam. Ingressus [illegible] audivit apostolum legentem. interrogavitque unum senem ait. Domine quid est illud quod legitur? Et dicit ei senior. Fili. [illegible] anime: Et ille. Quid est [illegible] anime. Doce me pater. Ait senior. Timere deum ex toto animo. et ex tota mente. Respondens autem beatissimus Symeon ait. Quid est timere deum? Dicit ei senior. Quare me fatigas fili? Et dixit ille. Propter deum interrogo te. Ista discere volo. quia ignarus et stultus sum. de his que dicis pater. Et senior dixit illi. Fili. si quis ieiunaverit. et obsecrationes deo dignas reddiderit in omni [illegible]. et humiliaverit se ipsum in conspectu dei et hominum. et non diligit aurum neque argentum neque vestimentum. aut possessiones. et honorat patrem et matrem et sacerdotem prosequitur. hic hereditabit regnum celorum. Si quis autem fuerit multiloquus. aut iniuriosus. patrem et matrem non honorificans. neque seniorem neque proximum. ille hereditabit tenebras exteriores. que parate sunt diabolo.